& hoc ficulnea reseruata: quod mulier erecta; Dominus uineae ter
tio uenit ad ficulneam. & fructum minime inuenit. & mu
lier quae erecta est. x & uiii annis. fuerat curua; hoc autem
per xuiii annorum numerum signatur. quod tertio dominus uineae
ad infructuosam ficulneam uenisse perhibetur. quia igi
tur premittendo summatim tota perstrinximus. iam per lec
tionis ordinem singula disseramus; Arborem fici habebat
quidam plantatam in uinea sua & uenit quaerens fructum
in illa & non inuenit; quid arbor fici. nisi humanam na
turam signat. quid mulier inclinata. nisi eandem na
turam significando denuntiat. quae & plantata est sicut
ficus. & bene creata sicut mulier; Sed in culpam propria
sponte lapsa. neque fructum seruat operationis. neque statum
rectitudinis; Ad peccatum quippe ex uoluntate corruens.
quia fructum oboedientiae ferre noluit. statum rectitudi
nis amisit. quae ad dei similitudinem condita: dum in sua dig
nitate non perstitit. quod plantata uel creata fuerat. serua
re contempsit; Tertio dominus uineae ad ficulneam uenit. qui
ad naturam generis humani ante legem. sub lege. sub gratia
expectando. ammonendo. uisitando. requisiuit; Dixit ad
cultorem uineae: Ecce anni tres sunt ex quo uenio fruc
tum quaerens in ficulnea hac. & non inuenio; Venit ante
legem. quia per naturalem intellectum quid unusquisque ex
emplo suo qualiter erga proximum agere debuisset inno
tuit; Venit in lege quia praecipiendo docuit; Venit
post legem per gratiam. quia pietatis suae praesentiam exhi
bendo monstrauit; Sed tamen in tribus annis fructum se
non inuenisse conqueritur. quia quorundam prauorum men
tes nec inspirata lex naturalis corrigit. nec praecepta eru



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc271/0080